



Samelbd.

0/0

die,

DE  
MEDICINÆ  
ORIGINIBVS SACRIS

PRÆSIDE  
MICHAELE HEINR.  
REINHARDO,

LYCEI TORGAV. RECTORE

A. O. R. clb 1b CCXXXVI. d. XI. Maji

DISPVTABIT

ET VNA

MVSIS TORGAVIENSIBVS

VALE DICET

AVTOR

CHRISTIAN. FRIEDER.  
SCVLTE TVS,

*Torgaviensis,*

MEDICINÆ CVLTOR.

---

TORGAVIÆ,  
imprimebat IO. GOTTLIEB PETERSELL.

LYCEI TORGAVIENSIS  
INSPECTORIBVS LONGE GRAVISSIMIS  
PRAESVLI COETVS SACRI  
LONGE MERITISSIMO

ET

CIVITATIS NOSTRÆ CONSVLI-  
BVS, SYNDICO,  
PRÆTORIBVS RELIQUISQVE  
SENATORIBVS

DE CIVITATE, LYCEO, MEQVE OPTIME MERITIS  
ET ADHVC MERENTIBVS

HOC QVALECVNQVE SPECIMEN DILIGEN-  
TIÆ MEÆ

AD

ANIMVM GRATISSIMVM PRO BENEFICHS  
ACCEPTIS COMPROBANDVM

CONSEURO

CHRISTIANVS FRIEDERICVS SCVLLETVS,  
TORGAVIENSIS.



S. I.

**A**Dami tempore uti pauci erant homines, sic quoque ar- *Exordium*  
tibus atque scientiis parvam operam, & invenien- *& Obie-*  
dis & excolendis, datam esse scimus. Cum vero na- *ctio I.*  
tura humana primo eius peccato debilitata, & homi-  
num numero aucto, homines, necessitate urgente, tam corpus  
alere quam vitam, primo adversus animalium deinde quoque ad-  
versus hominum imperus tueri cogerentur: natura amorque sui  
ipsum, ad ea, quae necessaria ad vitae cultum iudicabantur, sibi  
comparanda, optimus cuilibet fuit magister. Extruebant itaque  
primum domicilia levissima, quae tuto inhabitarent. Quae tamen  
aedificandi scientia, ab exiguis initiis profecta, cito ad summa se  
crevit, ut iam tempore Nimrodi turrim usque ad coeli templa  
extollere homines audent. Pari modo nulla est ars, quae non  
annis crescentibus simul creverit. Quoniam vero tam dulce,  
quam utile, existit primos rerum fontes inquirere: ipse quoque  
iam pauca de primis medicinae originibus, quoad ex litteris sa-  
eris possunt reperti, investigare mihi proposui, easque propter  
ea sacras liceat appellare. Eruditissimus Daniel Georg. Morho-  
fius in Polyhist. Tom. II. lib. II. p. 11. cap. VIII. quidem ait,  
quod ars medica imperitis hominibus, mulierculis & olitoribus,  
somnia & incubationibus, primam suam originem debeat, quo  
factum sit, ut multa immigraverint in illam, quibus sola supersti-  
tio patrocinetur. Sed hunc doctissimum virum hac in re recte  
iudicasse dubito. Nulla enim ratio apparet, cur plebi superstitio-  
se, mulierculis, ac olitoribus potius attribuat inventionem me-  
dicinae, quae tamen tantas tamque amplas in se complectitur sci-  
entias.

entias, ut ne diligentissimam quidem perferuationem, ad hanc artem recte inveniendam, valuisse, certo mihi persuasum habeam. Quare non video, cur non viri sagaces & que in causas morborum & remedia potuerint investigare, ac plebs supersticiosa & muliercularum chorus. Præterea cum hæc de medicinæ origine Morhosi sententia, absque ullo testimonio exemploque sit proposita, annon etiam hac de causa sit reiicienda, ipsi iudicetis. Ego vero, ab eius sententia recedens, iam medicinæ fontes multo nobiliores, multo angustiores, & omnino plane divinos esse, demonstrare pro viribus studebo.

## §. II.

*Obiectio altera.*

Me quidem non fugit nonnullorum sententia de medicinæ origine, existimantium, hanc artem non multo ante Troianum bellum a Chirone fuisse inventam, a quo etiamnum nostra Chirurgia nomen haberet, illum vero *ἀπὸ τῆς χειρὸς* fuisse sic dictum, quoniam operationes medicas, quæ manu efficiuntur, excogitasse atque adhibuisse fertur. Deinde vero tempore belli Troiani ab duobus Æsculapiis, qui filii Apollinis creduntur fuisse, excultam esse hanc artem tradunt. Sic etiam omnis præcæ antiquitatis peritissimus *Plinius H. N. Lib. 29. cap. 1.* ait: „Medicina, clara Troianis temporibus, quibus fama certior, vulnere tamen „duntaxat remediis.“ Idem *Daniel le Clerc* in histor. sua medicinæ ostendit, toto lib. 1. fata medicinæ ab origine mundi usque ad tempora belli Troiani repetens. Sed doctissimus *Jacobus Bernbardus* iam dudum vanitatem huius opinionis palam fecit, cum in enarrando Clericani libri argumento *dans sa Republ. des lettres* scribat: Le premier semble ne refermer, que des choses ou fabuleuses ou fort incertaines. Itaque hæc omnia, quæ antiquitas, aut potius fabulæ, de scientia atque medicinæ inventionem Bacchi, Chironis, Hammonis, Zoroastris aut Æsculapii Ægyptii, aut quod Gellius huius artis originem ab Sole Oceani filio derivare conetur apud *Plin. H. N. lib. VII. cap. 56.* sunt certe incerta & fabulosa. Neque *Melampus* qui tempore belli Troiani vixisse censetur, quod *Buddeus in histor. Vet. Test. p. 1025.* ad tempora Iudicium Israëliitarum refert, primus esse potest, cuius medica scientia certis historiis celebratur. *Dacierius* quidem

dem in præfatione Gallicæ suæ interpretationis *Hippocratis*, in qua medicinæ historiam usque ad Hippocratis ætatem persequitur, scribit: *Melampe a donné la premiere potion purgative, dont il soit parlé dans tout ce qui nous reste de l' antiquité.* Quod quidem medicamen sic invenisse fertur, ut capras, pasto elleboro, purgari animadvertens, harum lacte dato, Proeditas futures sanaret, uti vult *Plin. Lib. XXV. H. N. cap. 5.* Namque hæc argumenta parum probare apparet, quod ne unus quidem omnium, qui de originibus medicinæ scripserunt, alteri, nisi in eo, quod unus ab altero forte sumserit, sit consentaneus, & potius singuli vanas coniecturas de huius artis fontibus scripsisse videantur. Enimvero cum iam multo certiora tradere possimus & ostendere, medicinam longe ante bellum Troianum in usum fuisse: iis, qui aliquid certius student scrutari, sententiam & antiquitate & veritate argumentorum excellentiorem eligere necesse erit. Cum vero scripta Mosis omnium sint antiquissima atque omnino divina: plane confido fore, ut, si de re medica possum ex illius libris certa argumenta afferre, eadem & firmiora & meliora existant, quam ea, quæ de origine medicinæ vulgo traduntur. Cuius quidem scripta simul cum iis, quæ in historia aliis monumentis consentiunt, pro fundamento meæ commentationis iam ponam.

§. III.

Ipsam vero argumentum ut recte persequar, totam hanc commentationem in certa distribuam capita, & in primis ostendere studebo: Deum ipsum verum & proprium esse medicinæ autorem. Si enim evicero, Deum optimum ab initio mundi morbos curasse: homines remedia divinitus præscripta conservasse, & posteris tradidisse, quis dubitabit? Deinde iam Mosis tempore in gente Israëlitis medicos fuisse docebo. Denique etiam ante eius ætatem medicos iam in aliis gentibus existisse ostendam. Quibus quidem argumentis, longe augustissima & plane divina medicinæ fuisse initia demonstrabo. Summa vero omnium argumentorum in eo versabitur, ut ostendam, medicinæ origines longe antiquiores, ac vulgo existimatur, existare.

## §. IV.

*Prima quæ-  
stionis divi-  
sio.* Deum itaque autorem antiquissimæ appellandum esse medici-  
næ, tum ex morbis divinitus & antiquitus sanatis, tum ex reme-  
diis morborum a Deo præscriptis, tum vero ex promissionibus,  
quibus indicavit, se velle morbos curare, inde ex comminationi-  
bus divinis, quibus, suam medicinæ curam respicientibus illam-  
que reiicientibus, iram suam Deus denunciavit, postremo ex hi-  
storiciis eorundemque indiciciis non obscuris, demonstrari potest.

## §. V.

*Argumen-  
tum pri-  
mum.*

Tempore Adami vero Deum iam medicinam homines & re-  
media morborum docuisse, ex eo possit colligi: quod Deus a-  
nimalia Adamo adduxerit, ut illis nomina imponeret, illumque  
simul virtutes horum docuisse videatur. Quod vero Adamus  
non solum animalibus sed etiam herbis, plantis, arboribus lapi-  
dibus & quæ sunt huius generis reliqua, nomina dederit, cum  
his quoque nomina necessaria fuerint, nec ratio adsit, quare non  
æque ac illis nomina sint tributa, probabile esse puto. Certe tunc De-  
um Adamo scientiam physicam aliquam, medicinæ præcipuam  
partem, proposuisse, quis est qui dubitet? Deinde post lapsum,  
dam primo animæ salutem Messia promissione curavit Deus,  
corpora quoque nuda adversus vim solis ærisque tuenda, expel-  
libus animalium vestimentis factis, vestivit: quare non quoque  
idem sanitatis humanæ curam egisse existimandus sit? Etsi enim  
illo tempore hominum corpora nondum, ut nunc, varietate ci-  
borum infirmata, & plane erant destructa: tamen profecto ma-  
lignas æris immixtas partes, externosque casus homines effugere  
non valebant. Sed in scriptura sacra quoque Deum ab initio  
mundi morbos sanasse, planis & perspicuis docetur verbis.  
Quem enim fugit exemplum Abimelechi, cui ipsi Deus, cuius  
uxori quoque medicatus est, ut liberos pareret Gen. XX, 17. Mir-  
iam quoque lepra, Deo medicante, sanatam esse, quis nescit?  
Num. XII, 13. ff. Posteris vero temporibus, quibus non nisi  
per Prophetas & Apostolos cum hominibus Deus est locutus, his  
sanandi donum tanquam aliquid divinum attribuit, uti Eliæ, per  
quem Deus filium viduæ ex morte revocavit Reg. XVII, 17. ut  
Esaia, qui Hiskiam, divinitus iussus, sicubus malo curando adhi-



hibitis, sanavit. Quod quidem remedium ullo absque dubio prophetae a Deo est patefactum, cum ille dixerit, ego regem saluum reddere decrevi 2. Reg. XX. Idem contigit Elifæ, qui Benhadado valetudinem recuperandam annuntiavit 2. Reg. VIII. Tempora N. T. quoque multa præclara nobis dant exempla, quod Deus sanandi hominum corpora ægrotæ perpetuam egerit curam. Misit enim tunc angelum in lacum Bethesda, qui aquam moveret, qua commota ægrotis auxilium fieret. Nonne eodem tempore Dei filius ipse, in terris ambulans, maxima medendi miracula edidit? quam sanandi vim eum decedentem suis fidelibus discipulis dedidisse ac reliquisse legimus 1. Cor. XII, 9. 28. Ille ipse ægrotantibus remedia præscripsit per Jacobum Jac. V, 14. Eius discipulos remedio unguentorum multos instinctu spiritus sancti sanasse scimus Marc. VI, 13. Quibus ex argumentis satis superque liquet, Deum, qui postea sanationem morborum sibi tanquam peculiare donum servavit, tempore patriarcharum, quibuscum tam familiariter est versatus, plurimos morbos sanasse, etsi illi non semper recensentur. Id ruminans, doctissimus Anglus *Schuckfordus*, non male dixit, (\*) prima mundi ætate homines urpote meliori valetudine quam nunc utentes, paucis affectos fuisse morbos, qui ipsi instar poenarum divinarum habitæ, quorum propterea quoque sanatio divinitus expectata & expectata sit.

§. VI.

Sed quod Deus valetudinis & tuendæ & restituendæ primis *Argumentis* temporibus remedia ordinaverit ex iis, quæ sequuntur, patebit. *rum altera* Certe discrimen ciborum apud patriarchas & in Israëlita generum. una cum distinctione animalium purorum & impurorum a Deo propterea ordinatum fuisse existimatur, ut valetudinem bonam corporis sic quoque tueretur. Unde illorum usum permisit, horum vero interdixit. Nam profecto magna doctorum pars, qui

(\*) Libr. IX. P. II. p. 408. Of the Connection of the sacred and profane history: it was generally remarked to be a Punishment for some extraordinary Wickedness, and Diseases were thought not to come in the ordinary Course of Nature, but to be inflicted by the Deity for the Correction of some particular Crimes.

qui in legibus Dei scrutandis magnam adhibuerunt diligentiam, putat, animalia pura ad sanitatem conservandam hominibus regionum istarum utilia, impura vero noxia fuisse, & propterea quoque Deum purorum animalium usum sibi in sacrificiis elegisse, quia hominibus propter cibum pretiosa fuerint, & propterea de hominum amore efficacius quam inutilia animalia testentur. Hoc vero discrimen iam dudum ante diluuium extitisse reperimus Gen. VII, 2. 8. Circumcisio infallibile quoque sententia nostræ præberet argumentum, si verum esset, quod *Hermannus Hardius* de illius usu ac effectu scriptum (\*) tradit, quod nempe circumcisio, antequam pro foederis sacramento constitueretur, remedium sanitatis fuerit conservandæ. Ille enim, cum e Philone plures, quare circumcisio inter varias orientis nationes recepta sit, recenscat rationes, primam ait esse, ut caveatur morbus curatu difficilis, quem vocant carbunculum, aliteram, ut totum corpus fiat purius. Tum vero circumcisionem quoque existimat sanitatis quoddam esse remedium, suamque sententiam simul ratione quadam physica confirmat. Idque est quod etiam *Diodorus Siculus* & *Herodotus* videntur indicare, dum quoque Ægyptiis aliisque gentibus circumcisionis consuetudinem tribuunt. Sane *Ludolphus* (\*) tradit, regem Æthiopiæ affirmare in literis confessionis, quod circumcisio inter istarum consuetudinis. Vnde, si hæc certiora essent, omnino colligere possemus, Deum, sicut in N. T. foedere baptismi lavacrum a lotionem corporis ad peccata nostra ablunda traduxit, sic V. T. tempore circumcisionem adhibuisse, ut, quemadmodum alias ad valetudinem corporis & conservandam & restituendam faceret, ita etiam vi sacramenti sanitatem spiritus hominibus conferret. Sed in re incerta aliquid affirmare nolo, cum Deum remedia morborum instituisse alias constet. Id quod vel ex lepræ curatione patet, cuius signa *divergunt* Deus ipse sacerdotes Lev. XIII, 16. diiudicanda docuit. Ipsam vero lepræ curationem, quomodo

(\*) In Prodomo juris Judæorum canonici de Circumcisione p. 8.

(\*) in Hist. Æthiop. Lib. III. cap. 1.

do fit instituenda, illis cap. XIV, 4. tradidit, quæ certe illis ignota fuissent, nisi ipse Deus modum & lepram cognoscendi & sanandi præfecisset.

§. VII.

Non solum vero tempore V. T. rationem sanitatis habuit De-*Argumen-*  
 us, sed etiam sæpe suæ genti ipse medicari promisit, quod mul-*um quæ-*  
 ta sacr. librorum loca præclare indicare arbitror, dum modo *um.*  
 Deus Exod. XV, 26. se medicum Israëlitis nominat, modo Deut.  
 XXXII, 39. Exod. XXII, 25. & Deut. VII, 15. cap. XXVIII, 59.  
 61. & cap. XXIX, 22. se morbos Israëlitis velle sanare promittit.  
 Ad quam Dei promissionem respiciens Salomo in inauguratione  
 templi Hierosolymitani Deum summum deprecatus est, ut æ-  
 grotum, quisquis sanationem ab ipso in hoc templo peteret, sanare  
 vellet 1. Reg. VIII, 37. 2. Par. VI, 28. Quam petitionem quo-  
 que Deus se concessurum & præstiturum esse, clementer pollicitus  
 est 2. Par. VII, 13. 14. Quod vero in his recensitis codicibus  
 sacri argumentis tralatus sensus locum non inueniat quodque De-  
 us proprie esse medicus voluerit sanatioque propria corporis in-  
 telligatur, nullum est dubium, cum, nisi urgente necessitate,  
 quæ hic nulla est, a propria significatione vocum non sit rece-  
 dendum. Jure autem sic possum argumentari, quod Deus post-  
 ea in templo Hierosolymitana præstitit, ea quoque illum Patri-  
 archis præstitisse omnino verisimile videri.

§. VIII.

Sed quoque, Deum poenas suas minatum esse iis, qui medici-*Argumen-*  
 nam suam contemnerent, iam confirmabo. Illud quidem patet *um quæ-*  
 exemplo regis Ahasæ, qui propterea sanitatem non adeptus est, *um.*  
 quia non a Deo vero liberationem ac curationem sui morbi pe-  
 tuerat 2. Reg. I, 2. Multo clarius vero idem docet exemplum  
 regis Assæ, maiorem fiduciam in suorum medicorum opera au-  
 xilioque quam in Deo ponentis, atque idcirco nullum auxilium  
 nullamque sanationem morbi sui a Deo impetrantis 2. Par. XVI,  
 B 12. ff.

12. ff. Quibus exemplis apparet, Deum, quoniam postea quoque contemptum sui auxilii in morbis sanandis tam graviter punivit, sibi sanationem morborum semper maxime vindicasse.

## §. IX.

*Argumen-  
tum ul-  
timum.*

Sed sanationis huius divinæ indicia obscura historiarum monumenta ostendunt. Etsi enim historici, uti iam antea dixi, variam de medicinæ origine sententiam reliquerunt libris consignati: attamen omnis fere antiquitas vetustissima in eo consentit, ut initio rerum medicinam a Diis & oraculis petitam esse affirmet. Quare videmus, sive famam sanationis illius divinæ ad alias quoque gentes emanasse & superstitioni deditos homines amulatos fuisse piorum exempla verumque Dei summi cultum, sive spiritum infernalem, oraculis fictisque deorum imaginibus homines fallentem, sibi veri Dei gloriam & maiestatem exinde quoque comparare voluisse, & sanationem divinam tanquam insigne maiestatis cœlestis signum imitatum esse. Historiarum vero ille consensus apparet etiam ex testimoniis recentiorum scriptorum. Sic enim Jac. Bernhardus præeunte Daniele Clerico ait: dans sa Republ. des lettres p. 125. Toute l'antiquité a crû que les Dieux étoient les auteurs de cet art. Et Polid. Virgil. de rerum prim. invent. lib. 1. cap. 20. cum de origine medicinæ eiusque autoribus loquitur, dicit, diis primam inventionem huius artis, nec meherecule iniuria, assignatam esse, ipsamque ab oraculis deorum multifariam fuisse petitam testatur. Sed inter scriptores antiquos quoque Plinius autor antiquitatis omnis peritissimus N. H. lib. XXIX. cap. 1. Medicinæ primos inventores antiquitatem assignavisse Diis coeloque dicasse, dicit. Idem vero testimoniis eorum quoque, qui Magiam, Medicinam, & Telecticam fuisse artes antiquitus coniunctas dicunt, comprobandum esse puro. Uti enim Magia ac Telectica scientia ad cultum deorum pertinuit: sic sacerdotes quoque artem medicam exercuisse, ægrotosque, adhibitis, ab oraculo editis, remediis sanasse, inde conficitur. Quod vero hæc artes inter se fuerint unitæ, ex Diodoro Siculo Lib. V. p. 235. discimus, dicente: τα-

τρικὴν ἐπιστήμην, διὰ τῆς μαντικῆς τέχνης γινομένην, δι' ἧς τὸ παλαιὸν συνέβαινε Θεραπείας τυγχάνειν τῶν ἀρρώστων. Qua de re Scholiastes in Ptol. Terrabib. uti est apud Marshamum in Can. Chron. p. 41. sequentem in modum testatur: Οἱ Ἀργεῖοι ἐκ ἰδία μὲν τὰ ἰατρικά, ἰδία δὲ τὰ ἀστρολογικά καὶ τὰ τελεστικά, ἀλλ' ἅμια πάντα συνέγραψαν. Non desunt quoque exempla eorum, qui antiquitus morborum sanationem a diis & auguribus tam petierunt quam consecuti sunt. Qua ratione Achilles, cum Græcorum exercitus in obsidione Troiæ peste premeretur, certe non suadisset Agamemnoni, ut vatem aut sacerdotem de peste confuleret, nisi se auxilium hic esse inventurum, ex antecedentibus exemplis intellexisset. Verba eius ipsa apud *Homerum Iliad. lib. I. v. 62. ff.* legimus sequentia.

Ἐἰδὴ ὄμῃ πόλεμός τε δαμᾶ καὶ λοιμὸς ἀχράϊες,  
 Ἄλλ' ἄγε δὴ τινα μάντιν ἐρείσωμεν ἢ ἰερεῖα,  
 Καὶ ὄνειροπόλον, καὶ γὰρ τ' ὄναρ ἐκ Διὸς ἔστω.

Quibus ex argumentis facile est intellectu, cur Melampodi, qui tamen primus fuit, de cuius medica arte historia aliquid certi novit, divinandi quoque scientia adscribatur. *Plinius* enim *H. N. Lib. VII. cap. 33.* de eo scribit: "Divinitas & quædam coelitum" societas nobilissima ex foeminis in Sybilla fuit; ex viris in Melampode apud Græcos, & *Lib. XXV. cap. 5.* ait: "Melampodis fama divinationis artibus nota est., Postremo certe non obscure origo medicinæ divina ex ipso medicinæ præsentis principio demonstrari valet, de cuius autore potissimo Hippocrate *Plinius H. N. Lib. cap. 1.* sic tradit: "Medicinam revocavit in lucem" Hippocrates genitus in Insula Coo, imprimis clara ac valida & *Æsculapio* dieata. Is cum fuisset mos, liberatos morbis scribere in templo *Æsculapii*, quid auxiliatum esset, ut postea similitudo proficeret, Hippocratem ea exscriptis traditur, atque (ut *Varro* apud nos credit) iam templo cremato instituisse medicinam hanc, quæ clinice vocatur., Licet sane inde conicere, quod *Æsculapium*, medicinæ deum, remediumque quoque illorum auctorem vulgo ferrent, hanc unam ob causam omnia illa quo-

quoque remedia, ab Hippocrate deinde collecta, eidem deo attributa, & in eius templo fuisse descripta.

## §. X.

*Clausula  
questionis  
primæ.*

Cum igitur, Deum optimū morbos sanasse & remedia morborum præcepisse, tam ex sacris quam ex aliis historiarum libris satis superque demonstravimus: sane iam exinde argumentari possumus, Deum in principiis rerum, cum scientiæ & ipsa quoque medicina parum exulta esset, medicinam ipsam exercuisse, & in quo hominum scientia adhuc deficiebat, illud sua supplēvisse potentia. Quod autem promittit sanationem morborum, & illis, qui suam opem in morbis repellendis spernant, iram suam minatus est, ex eo patet, quod Deus sanationem ægrotorum sibi ita vindicavit, ut ab ægrotis vellet quæri atque implorari. Consensus vero autorum ostendit, quam communis omnium fama medicinæ divinæ fuerit. Denique omnino par est ut credamus, patriarchas & veri Dei cultores non commisisse, ut vincerentur in describendis remediis divinis ab supersticioso Æsculapii cultoribus, sed potius medicinam, divinitus doctam, conservasse & propagasse, aliquasque eius reliquias ad posteritatem seram transmisisse. Quod præclare docet *Pbil. Melanchthon in declam. suis p. 105. Tom. III.* „In medicina, ait, senserunt tantam esse vim, ut neminem mortalium dignum ducerent, cui tantum beneficium acceptum ferrent, sed magno consensu iudicaverunt, a Deo repertam exhibitamque esse, & p. 116. Arbitror, inquit, inde usque ab primis patribus ab Adam, Noha, Abraham, Joseph propagatam esse doctrinam de coelestibus motibus, & de remediis, in familiis præstantioribus, & ut unquam deinde ab iis, qui professione medici fuerunt, conservatam. Tandem doctorem Torgaviensem audiamus. Est autem ille *Balibasar Sommerus, Physicus Torgensis*, qui ad *Jacobum Horstium* de huius introductione ita scripsit in editis *Jacobi Horstii epistolis pag. 136.* „Pietate & erudite nobis Theophrastinorum deliramenta, paradoxa & portentosa monstras: Nosstram artem non primo ab ethnicis inventam & fundatam esse ut pessime calunniantur & mentium.

tiuntur, sed ab ipso Deo aeterno creatore coeli & terræ, qui e-  
am & eius usum propter aetatem & virium in homine decre-  
mentum sanctis patribus tertio millesimo monstravit, & eam pri-  
mo a Melchisedech, postea ab Abraham, Isaac, Jacob, Mosen  
excoli voluit, ut Prophetae & sacerdotes in populo Dei eam  
exercerent, & eius usus summis Monarchis, regibus & princi-  
pibus notus fieret. Ideo tandem a Salomone ad gentes & ad  
Graecos promanavit.,

## §. XI.

Sed iam ad secundam meae commentationis accedo quaestio-  
nem, & iam ante Troiae excisa tempora tum populum Israëliti-  
cum tum gentes alias medicinae operam dedisse ex libro divino  
demonstrabo. Ut igitur de Israelitis primum dicamus, cognitio  
physica, uti prima praecipuaque existit medicinae pars, sic etiam  
coniicere licet, illum, qui hanc artem didicit, in re medica quo-  
que multum valuisse, cum nostri testentur medici uno ore, quod,  
qui bonus sit Physicus, bonus idem existat medicus. Cum ve-  
ro ex sacris literis Gen. XX, 37. ff. Jacobum ad augmentationem  
gregis sui adhibuisse cognitionem aliquam physicam, constat, ve-  
rissimiliter illum, non solum in naturae scientia, sed etiam in me-  
dicina ipsa multum potuisse, apparet. Moses vero ipse suo exem-  
plo Exod. XXXII, 20. se artem Chemicam, quae etiam nobilis  
medicinae pars est, & novisse & tractasse in gente Israelitica, de-  
monstrat. Certe enim vitalium aureum cremare non valuisset,  
nisi huius artis beneficio id effecisset. Quare etiam doctissimus  
*Buddaeus in Hist. Eccl. V. T. T. I. p. 613.* scientiam artis Chemicæ  
Mosi attribuit, dicens: "Combustio sine qualicunque peritia"  
Chemicæ seu arte solvendi metalla fieri non potuit., Idem vero  
reiecit contrariis virorum doctorum opinionibus scribit p. 114:  
Nullam rationem video, cur non apud Aegyptios usus aliquis  
artis Chemicæ esse potuerit, a quibus eam didicerit Moses, quam  
rem fusius quoque part. 1. sect. III. §. XXIV. tractat. Luculen-  
tissime vero & quam certissime iam tempore Mosis medicos in  
gente Israelitico fuisse patet, ex testimonio perspicuo Exod. XXI, 19.  
Ubi

Ubi pro mercede soluta medicos populum curasse in Lutheri vernacula interpretatione invenimus. Nec male Lutherus ita interpretatus est. Si enim ille, qui alterum verberaverat, curam, ut laeso remedia porrigerentur, agere debuit, certe medicos, qui illa suppeditarent, iam tum extitisse, apparet. Licet vero fons Hebraicus & eius Anglicus non minus quam Belgicus interpretres proprie saltem dicant, quod, qui alteri vulnere infixerit, idem debeat eundem sanare: attamen graeca & vulgata gallicaque interpretatio Martenii simul cum nostro Luthero sanationem illam opera medicorum factam planis & perspicuis indicant verbis. Graecus enim interpret utitur verbo *iatrosia*. Gallus dicit: Et le fera guerir entierement. Lutherus vero sic haebraicam verborum vim exprimit: Und das Arz, Geld geben. Praeterea intelligi non potest, quomodo medicinae imperitus alterum possit sanare, nisi mercede medico, qui aegroti medicatus est, soluta.

## §. XII.

*Questio ultima.*

Quod denique & postremo iam dudum ante Troiam destructam, etiam apud alias gentes medicinae ars fuerit in usu, codex sacer docet Gen. L, 2. Ibi enim legimus medicis praecipisse Josephum, ut patrem aromatibus condirent. Quod enim doctus ille Gallus *Garengoet in sua de Chirurgia origine dissertatione* contendit, illos non medicos sed Chirurgos fuisse, sine dubio propterea fecit, ut fundamentum, quo sua de Chirurgia origine sententia niteretur, haberet. Constat enim inter omnes, quod ab initio & ars medica & Chirurgica ab uno eodemque medico fuerit administrata. Quod vero illa mortuos unguentis aromatibusque condiendi consuetudo & ratio medicorum fuerit propria apud Aegyptios ex Herodoto discimus. Ille enim simul cum medicorum commemoratione ritus mortuos condiendi & sepeliendi coniungit L. II. Ismaelita quoque illi mercatores, de quibus Gen. XXXVII, 25. mentio fit, ad usum medicorum Aegyptiorum aromata in Aegyptum pertulisse videntur. Diodorus Siculus vero iam tempore antiquissimorum Aegyptiorum medicos



dicos extitisse perspicuis docet verbis. Ille enim Lib. 1. Hist. p. 74. cum mores Ægyptiorum veterum describit, de illorum medicis sequentem in modum loquitur: Medici annonam ex publico accipiunt, & medicinam ex lege scripta per multos ab antiquo medicos illustres concinnatam applicant. Ubi notatu dignum iudico, quod etiam antiquiorum medicorum mentionem faciat. His argumentis omnibus collectis sane mirum in modum in mea sententia confirmor, mihi que argumentari denique liceat, quod medicina origo sit multo illustrior multoque antiquior, ac vulgo hodie existimatur. Summum vero totius nature magistrum Deum ipsum in principio rerum patriarchas hanc tam salutarem artem docuisse, illos vero ad posteros per manus tradidisse & propagasse, ab illis deinde alias quoque gentes illam didicisse, verosimile videtur.

## Michaël Heinricus Reinhardus Schulzio suo salutem.

**M**Emini me legere in epistolis Jacobi Horstii, medici & principibus chari & de academia Julia longe meritisimi, quod hic idem vir quam doctissimus vehementer sibi gratuletur coenam illam solemnem, in qua septem doctores medici, singuli Torgavienses, iique & doctrina & scientia medica peritia illustres, una fuerint, arque, præter tres novitios, tum primum doctores publicæ salutatos, viderit imprimis duos medicinae doctores publicos, eosque præcipuos Vitebergenses, quibuscum de hac arte salutari plurimum doctissimeque disserendi exoptatissima sibi data sit facultas. Cuius quidem viri credo animum dulcissima lætitia plane perfusum fuisse. Eæque enim coena lautior esse potest eâ, in qua non nisi viri probi, patriæ amantes, iique doctissimi acubuerunt, in qua viri tot & tales ad sermonem doctissimum instuendum & erudita copia continuandum amice conspirarunt? Mukum etiam est videre, virorum doctissimorum illum confessum plane sui similem, eiusdem scientiæ & studii studiosum, experientiam, annorum multorum usu comparatam,

tam, unius coenae aut horae sermone in medium conferre, & erudita quadam prodigalitate quasi profundere. Sed quanti tandem existimas esse coenam illam Platoniam, aut certe medicam, in qua non nisi Torgavienses, sique viri clarissimi doctissimi omnesque medici, invitati compaeruerunt? Deum immortale n! quam suaviter quam amice quamque ore uno de communi patriae gloria, quae tibi quoque aliqua ex parte debeat, Torgavienses illos putas honorificos plane misuisse sermones, atque inter se confabulatos esse? Quam iucundum dictu audituque credis fuisse commemorationem tot Theologorum, Jurisconsultorum aliorum virorum de re publica meritissimorum, quos Torgavia praeter medicos possit numerare inter maxima eaque plurima sua praesidia atque ornamenta. Quam pie quam religiose sine dubio tibi gratulatos esse iuvenes illos doctores tres, quod a Torgaviensibus suis Vitebergae doctrinam multam variamque potuerint perdiscere atque colligere, quos non solum scientiae studium, sed ipsa patria ipsi cives ad omnem fidem sibi comprobendam semper sint cohortati? Illos autem duumviros, doctores academiae Vitebergensis, omnino arbitror laetitiae sensu fuisse penetratos, cum Torgaviensem scientiae medicae gloriam non secum intermorturam, sed ampliolem augultioemque in novis illis Triumviris conservatam, ad posteritatem seram transmissum iri, non vane augurarentur, cum iam tutius patria laude sua carere posse viderent. Sed, mi Schulzi, quorsum haec omnia, quae dulcissima coenae illius imagine atque longe iucundi sima recordatione abreptus, hic forte loco alieno congesti atque enarravi? Nosti ipse, quo amore quo studio constanti semper te semper tua studia sui complexus, quemadmodum te foverim in meo sinu, quomodo tua diligentia, tua morum modestia, tuum denique ingenium, me, non dicam invitavit, sed omnino, concitavit & stimularit, ad tibi omnem fidem declarandam omnia mea studia atque officia perpetuo & offerenda & praestanda. Abis iam ex meo complexu in academiam, ubi tibi pro tuo arbitrio & discendi & ferre vivendi erit facultas saepe periculosa. Sed hanc, quanta quanta sit, laudabilem, & plane fructuosam reipublicae ominor fore, si semper tibi illa coena medicorum Torgaviensium Vitebergensis obversetur ante oculos, si memineris, quantum debeas tibi, tuo ingenio, tuis profectibus & spei bonorum omnium de te concepta, si denique sis memor gloriae illius maiorum atque patriae, quam in re medica reportavit, & des operam, ut eam abs te acceptam, non solum aliquando retineas, sed etiam, quod Deus optimus ratum esse iubeat, amplificatam, atque auctam ad posteris tradas.

Dedi e museo A. O. R. cl. Io CC XXXVI.

d. IX. Maji.



AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3  
003 085 112




TA → SL  
Nov 75 fkt 1

R

VD 17





ME  
ORIG

MICHAEL  
RE

A. C.

MVSI

CHRIST

imprim

NÆ  
CRIS

EINR.  
O,

Maji

IBVS

DER.

SELL.

9



Farbkarte #13

B.I.G.

inches

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black